



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 84. Cardinalis Moronus a Pontifice ad comitia ablegatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. *to versetur Germania periculo, non solum*  
A.C. 1555. *obvastatorem Turcam: verum etiam propter*  
*alios hostes, qui non secus, atque Turca,*  
*moliuntur in Imperii perniciem: cogitatis*  
*ergo, quantas illi commoditates percipiant*  
*ex his offensionibus, atque civilibus malis,*  
*quæ nimirum ipsi callide suscitant, atque*  
*fovent, ut in hac Ordinum divulsione suam*  
*cupiditatem expleant, & per occasionem im-*  
*petu facta suam in potestatem, atque servi-*  
*tutem omnes redigant, etenim alii populi,*  
*qui sic ab illis expugnati sunt, & circum-*  
*venti, documento vobis esse deberent, ut vo-*  
*bis caveatis, & ea consilia suscipiatis, qui-*  
*bus & imminens patricæ tempestas, atque*  
*ruina propulsetur, & Imperio sua constet,*  
*ac permaneat authoritas, atque robur, &*  
*vis omnis externa, sicut olim ita nunc etiam*  
*fortiter, atque mascula virtute rejiciatur:*  
*quicquid autem eo Cæsar, atque ego confer-*  
*re poterimus & opis, & consilii, facturi*  
*sumus perlibenter, & ita quidem, ut quanta*  
*charitate patriam complectamur, omnes in-*  
*telligere possint: hoc videlicet ipsimet debe-*  
*tis vobis certo persuadere.*

## §. LXXXIV.

*Cardinalis Moronus a Pontifice ad*  
*comitia ablegatus.*

*Pallav. l. 13.*  
*cap. 10. n. 4.*

**C**um hæc Ferdinandi oratio per uni-  
 versam Germaniam divulgaretur,  
 Augustæ nuntiabatur, quod is ipsemet  
 circi-

circiter ducentos adulterinæ Ecclesiæ **Sæcul. XVI.**  
 Ministros ex Bohemia ejecisset. Eodem **A. C. 1555.**  
 tempore Romam perscriptum, ut sum-  
 mus Pontifex ad Imperii comitia Car-  
 dinalem Moronum tanquam Sedis Apo-  
 stolicæ Legatum decerneret: id enim  
 ipsemet Cæsar a Papa efflagitabat, &  
 quamvis Julius ab initio Imperatoris voto  
 annuere tergiversatus fuisset, iteratis  
 tamen Ferdinandi Romanorum Regis  
 precibus expugnatus tandem consentie-  
 bat, eo potissimum nomine, quod Pon-  
 tificis Legatum adesse oporteret, cum  
 in hisce comitiis præcipue Religionis  
 negotia pertractarentur; hanc tamen  
 conditionem apposuit Pontifex, ut nihil  
 ibi absque ejusdem Legati consensu de-  
 cideretur. Ceterum præfatus Papæ  
 Legatus filius erat Hieronymi Moroni  
 Mediolanensis Cancellarii, qui inter Au-  
 læ Ministros sua ætate regendi pru-  
 dentia nemini secundus erat: itaque  
 Cardinalis sub tanti Patris Magisterio  
 enutritus in Virum evasit ingenii acie,  
 rerumque gerendarum dexteritate, ani-  
 mi constantia, ac sententiæ semel con-  
 ceptæ firmitate longe celeberrimum:  
 hisce dotibus insuper ex primævo na-  
 turæ beneficio accesserat rara morum  
 lenitas, ac honestas, æquitatis amor,  
 ac optima propensio, qua cujuscunque

*Hist. Eccles. Tom. XLII.*

K

merita

Sæcul XVI merita largis præmiis compensare stu-  
A.C. 1555. debat.

§. LXXXV.

*Sedis Apostolicæ Nuntius in Angliam  
 a Papa decretus.*

*Pallav. n. 5.* Sub idem tempus, quo Pontifex Mo-  
 ronum ad Imperii comitia ablega-  
 verat, simul etiam Antonium Augu-  
 stinum Romanæ Rotæ Auditorem Vi-  
 rum, quo doctiorem Hispania non pro-  
 tulit, in Angliam Sedis Apostolicæ Nun-  
 tium decernebat, ut Philippi, & Ma-  
 riæ studio, ac opera Angliæ Regnum  
 ad fidei Catholicæ unitatem reductum  
 utrique Principi gratularetur, atque  
 exponeret, quod unicum populos in  
 fide continendi medium foret, si hære-  
 ticus quodcunque apud exteros perfu-  
 gium occludatur: id vero, inquiebat  
 Pontifex, composita cum Gallis pace  
 obtineri facile posset. Insuper Nuntius  
 Regi, ejusque conjugii indicare jube-  
 batur, quod Pontifex Cæsarem ad con-  
 cordiam inclinare totis viribus adlabo-  
 raverit, atque Henricus Galliarum Rex  
 saltem in id consenserit, quod ad Tur-  
 cam reprimendum, opprimendosque  
 hæreticos in Religionis utilitatem per-  
 tineret.

Denique Nuntius hæc subjungere  
 in mandatis habebat: „Pontifex nun-  
 quam